tae clientelae, o[mn]ia, quae jam dictae, patrocinio adsunt, et praesidio. Me v[ero] quum intueor, tantum abest, ut in aliis, quod praesidio esse possit, inveniam: ut potius spes o[mn]es in me ipso collocatas deprehendam: quas proinde necesse est, virtute solidā, vitāq[ue] inculpabili munire. Quod si v[ero] haec duo non valuerint, spes firmiter fiducia conceptas, de aliis non video, q[uo]d habeam mihi polliceri, quum hac admodum infirmo reliqua consistant o[mn]ia. Sive n[am] favorem populi hac spectem, sive divitiar[um] vim considerem, parum, ne dicam nihil haec et id genus alia valere perspicio. Caeter[um], Quirites, illud probè intelligo, plurimos de civium multitudine in me spem omnem habere positam, judiciumq[ue] de vitâ et actionibus meis sequestrato iniquiori affectu, optimum ferre, mihiq[ue] non sine causâ impensissimè favere. Sed neq[ue] me latet, quum praeclara mea facinora feliciter succedant et prosint Reipublicae, occasionem propterea me invadendi quaerere Nobilitatem. Quocirca tantò vehementius est mihi adnitendum, ut neq[ue] vos per spem et expectationem vestram de me decipiamini, et illi me invadere frustrà tentent. Ego jam inde ab ipsâ pueritiâ ad hanc usq[ue] aetatem, in quâ nunc sum, talis fui; ut o[mn]es labores et pericula consueta habeam.

Non constitui, Quirites, ut ea benefacta, quae, priusquam vestro beneficio consulatum obtinerem, gratis et sine praemio aut mercede faciebam, nunc postquam accepi à vobis, mercedem summi honoris deseram. Illis difficile est in potestatib[us] servare temperamentum, qui per imperii affectionem sese probos et bonos viros simulavêre. Mihi benefaciendi consuetudo usq[ue] adeò versa in naturam: ut jam non possim non benefacere: quippe qui totam meam aetatem in optimis artib[us] atq[ue] exercitiis, militarib[us] praecipuè,

SLUB Wir führen Wissen.
GÖRLITZER SAMMLUNGEN OBERLAUSITZISCHE BIBLIOTHEK
Uniwersytet Wrocławski